[9]



COLLEGII YALENSIS

STATUTA.



COLLEGII YALENSIS,

QUOD EST

NOVO-PORTU,

CONNECTICUTENSIUM,

STATUTA,

A

PRÆSIDE

ET

SOCIIS

SANCITA.

In Usum Juventutis Academicæ.

NOVO-PORTU:
Excudebat JACOBUS PARKER, MDCCLV.
[*Liber Primus* Novo-Portu *impressus.*]



COLLEGII YALENSIS
STATUTA.



TITULUS I.

De Admiſſione in Collegium.

1. 

DMISSIONEM in hoc Collegium Nemo expectet, niſi qui è Præſidis et Tutorum Examine, Tullium, Virgilium, et Teſtamentum Græcum extemporè legere, reddere, ac grammaticè reſolvere, et Proſâ veram Latinitatem ſcribere potuerit; et Proſodiæ ac Arithmetices vulgaris Regulas perdidicerit: atque Teſtimonium idoneum de Vitâ ac Moribus inculpatis exhibuerit.

2. NEMO nondum Gradu ornatus in hoc Collegium admittetur, priuſquam Pater vel Guardianus ejus, aut aliquis Homo competens Diſpenſatori Syngrapham idoneam conſignavit ad Tabulas ejus trimeſtres ſolvendas, Auctoritate Collegii deinceps approbandas, quàmdiu Collegii Alumnus extiterit: quam Syngrapham Diſpenſator cuſtodiet; donec Scholaris ille Gradu ſecundo donatus ſit; niſi è Præſidis Mandato citiùs ſit reſignata. Et Diſpenſator Rationem et Computum generalem, de Sumptibus et Debitis in Tabulis trimeſtribus irrogandis, Patri aut Guardiano exhibeat vel tranſmittat.

3. Unusquisque Admissionis Candidatus horum Statutorum Exemplar emat, aut penes se conservet: quod à Præside et uno vel pluribus Tutorum subscriptum, Admissionis ejus in Collegium Testimonio sit.

4. Omnis Scholaris in hoc Collegium admissus, Alumnus ejusdem deinceps habebitur, et (utrùm absens aut presens) quod Ratione Tuitionis, *&c.* debitum fuerit, persolvere tenebitur, usque dum Jure dimissus fuerit, vel saltem è Parentis vel Guardiani Consilio (si impuber sit) à Præside Dimissionem expetiverit.

5. Siquis Scholaris Tabulam trimestrem, Auctoritate Collegii approbatam, persolvere tres Menses recusaverit aut neglexerit, Dispensator Delicti ejusdem Delationem scriptam Præsidi exhibeto: et is qui Negligentiâ persisterit, Patre vel Guardiano rogato et quoque recusante, à Præside, consultis Tutoribus, è Collegio dimittatur.

6. Nullus Recens post Vacationem finitam admittetur, nisi paucos Dies per Ægrotationem, vel aliquam Causam momentosam et gravissimam detentus sit: Et siqui in Vacatione examinati et approbati, post Vacationem finitam absentes fuerint, absque Ratione validâ, à Præside approbatâ, Mulctâ communi puniuntor: Si vero usque ad Finem Termini trimestris primi absentes fuerint, pro illo Anno rejiciuntor, vel saltem ultimi in Classe collocantor.

7. Præses, cum consilio Tutorum, sub Finem Termini trimestris primi, Recentes Ordine idoneo, quo declamabunt, et inter Preces ac Recitationes stabunt, collocabit.

TITU-





TITULUS II.

De Vitâ piâ ac religiosâ.

1. OMNES Scholares Vitas agent religiosas, pias, et inculpatas, secundum Verbi Divini Regulas, Scripturas sacras, Lucis ac Veritatis divinæ Fontem diligenter perlegentes, atque in omnia Religionis Officia, tàm publica quàm secreta, assiduò incumbentes.

2. PRÆSES aut, illo absente, unus Tutorum vicissim, Manè ac Vesperi quotidiano in Aulâ adorabit, et Caput aut aliquam Partem Sacræ Scripturæ idoneam perleget; nisi Concio, vel aliqua Exercitatio Theologica intersit. Atque unusquisque Academiæ Alumnus tam graduatus quàm non graduatus, aut in Collegio aut in Oppido commorans, interesse tenetur, sub Pœnâ unius Denarii cuilibet non graduato (absque Ratione necessariâ) absenti, et Oboli cuivis tardè, *i. e.* post Præsidem accedenti, aut citiùs egredienti.

3. PRÆSES, quotiescunque Tempus illi fuerit supervacaneum, Sermones, Expositiones aut Dissertationes, quas sibi visum fuerit, ad Studentes instruendos accommodatas, in Aulâ exhibere desideratur, quibus publicè indictis, quilibet Studiosus interesse, sub Pœnis prædictis, obligatur.

4. OMNES Scholares, Diebus dominicis, ac Feriis Auctoritate publicâ indictis, et Lecturis publicis à Præside institutis, in Aulâ vel Sacello Academico, Cultui divino interesse obligantur, sub Pœnâ quatuor Denariorum pro Absentiâ (absque Ratione necessariâ) in alterutrâ Parte Diei Dominici aut Fasti, et trium Denariorum pro Absentiâ à Lecturâ, et unius Denarii pro Tarditate. Si vero ullus Studiosus per Ægrotationem, vel aliam quamvis Causam necessariam detentus sit, id Mane Præsidi, vel uni

Tutorum præmonstrabit, alioquin Excusatio ejus habebitur inanis, nisi aliundè justa manifestè appareat.

5. NULLUS Scholaris ad aliquem, Religionis Prætextu, Conventum publicum vel privatum, Auctoritate publicâ non sancitum aut toleratum, vel à Præside non approbatum, Die dominico aut alio accedet, sub Pœnâ Mulctæ, Admonitionis publicæ, vel aliter secundum Offensionis Statum ac Meritum.

6. SIQUIS Studiosus, Negotio, Oblectatione, aut Deambulatione nullo Modo necessariâ, Diem Dominicum profanet, vel alium quemvis Scholarem, vel Peregrinum, in Cubiculum suum admittat, vel Vesperi præcedenti aut succedenti indecenter strepitet aut conturbet, vel inter Cultum publicum aut Preces in Aulâ Academicâ profanè aut indecorè se gerat, puniatur Admonitione, aut aliter, prout Status et Meritum Criminis postulabunt.

7. QUILIBET Scholaris singulis eorum Superioribus, scilicet, Parentibus, Magistratibus, Ministris, et præcipuè hujusce Collegii Præsidi, Sociis et Tutoribus, omnimodum Honorem et Reverentiam Verbis et Gestu exhibeto, nec aliquem contumeliosum, calumniantem, fastidiosum, aut contumacem Sermonem ullo modo usurpet; sed è contra, omnia Reverentiæ et Obsequii Signa eis indicato; in eorum nempè Præsentiâ Caput aperiendo, assurgendo, Corpus incurvando et Linguam comprimendo. Et speciatim omnes non Graduati in Areâ Academicâ, Præside vel altero Sociorum aut Tutorum præsente, nudati Capite sunto, atque etiam alicubi in eorum Præsentiâ aut Conspectu. Omnes quoque Artium Baccalaurei in Areâ Academicâ, Præside præsente, Capita aperiant. Et Aulam Academicam ingrediente vel egrediente Præside (Cultu divino eo Tempore non acto) unusquisque Corpus incurvato. Similiter omnes Scholares juniores Senioribus et Superioribus Reverentiam et Distantiam congruam exhibento; scilicet, ubi convenerint, Locum potiorem cedendo; ubi

ubi obvii venerint, de Viâ decedendo; et ad justum Intervallum Caput aperiendo, atque etiam reverentur salutando et compellando.

TITULUS III.

De Exercitiis Scholasticis.

1. QUILIBET Scholaris in Cubiculo suo Studiis suis diligenter incumbito, et omnia Exercitia publica à Præside vel Tutore suo indicta, constanter attendat: nec ulli non Graduato, præterquam Semihoram à Jentaculo, et Sesquihoram à Prandio, et à Precibus vespertinis ad Horam nonam, à Cubiculo suo, sine Veniâ, abesse licet, sub Pœnâ duorum, et non plusquam sex Denariorum, pro Præsidis vel Tutoris Arbitrio.

2. PROPTEREA Præses et Tutores, quoties commodè possent in Tempore Studio assignato, præcipuè post Horam nonam, Studentium Cubicula visitabunt, ad observandum num adsint atque Studiis incumbant.

3. PRÆSES et singulus Tutor, pro eorum Solertiâ, propriam suam Classem, in tribus Linguis edoctis, et Artibus ac Scientiis liberalibus instruet et erudiet. *Anno primo*, Studentes Linguas et Logicam præcipuè addiscant; et per duos Annos proximè sequentes, Linguarum Studia aliquatenus insectanto. *Anno secundo*, Rhetoricam, Geometriam, et Geographiam recitanto. *Tertio*, Philosophiam naturalem, Astronomiam, cæterasque Mathematicorum Partes. *Quarto*, Metaphysica et Ethica. Classes singulæ Libros usitatos, more usitato, aut quos et quomodo Præses, consultis Tutoribus, ordinaverit, recitent. Quilibet vero Saturni Dies, Theologiæ Studio præcipuè dicatus fuerit. Et Classis quælibet, per totum Statum pupillarem, Confessionem Fidei *Westmonasteriensem* ab Ecclesiis hujusce

Co-

Coloniæ receptam et approbatam, *Wollebium*, *Ameſii Medullam*, aut aliud quodvis Theologiæ Syſtema, à Præſide et Sociis approbatum, recitanto. Die Martis et Veneris, quilibet non Graduatus, Ordine proprio, circiter ſex unâ Vice, declamato in *Linguâ Anglicanâ*, *Latinâ*, *Græcâ*, aut *Hebraicâ*, et nullâ aliâ abſque Præſidis Veniâ ſpeciali. Et protinus Declamationem ſuam nitidè ſcriptam, et nomine ſuo ſignatam Tutori ſuo tradet. Duæ Claſſes ſeniores bis qualibet Septimanâ in Aulâ diſputanto. Et ſi ullus Pupillus à Recitatione vel Diſputatione ſine Veniâ abſuerit, duobus, et à Declamatione ſex Denariis mulctator.

4. SIQUIS Scholaris præfata Exercitia publica perſæpè negligat, aut penitus perfunctoriè perficiat, punietur Mulctâ, Admonitione, Degradatione, aut etiam Expulſione, prout Criminis Ratio et Gradus poſtulabunt.

5. SOPHISTÆ Seniores Recitationes cæteraque Exercitia publica uſque ad Julii Diem quindecimum ad minimum, annuatim proſequantur; nec priuſquam Theſes, cæteraſque pro Comitiis publicis Præparationes perfecerint, neque abſque Præſidis Veniâ, à Collegio diſcedant.

6. CIRCITER Julii Diem quindecimum (Die à Præſide conſtituto) Sophiſtæ Seniores, à Præſide, Sociis, Tutoribus, et Generoſo quovis erudito, de eorum Cognitione et Progreſſu in Artibus ac Scientiis liberalibus, cæteriſque, quibus ad Baccalaureatûs Gradum capeſſendum, digni appareant, per duas Horas in Aulâ examinandos ſe ſiſtant.

7. OMNES Magiſtri et Baccalaurei reſidentes, Preces, Lectiones cæteroſque in Aulâ Sermones publicos frequentanto, ſub Pœnâ Bibliothecæ Privilegii Privationis.

8. OMNES Baccalaurei reſidentes ſingulis Hebdomadis, vel aliter pro Præſidis Arbitrio, in Aulâ ſub Præſide diſputanto, ſub Pœnâ quatuor Denariorum pro Abſentiâ abſque Cauſâ rationabili.

9. PRÆSES

9. PRÆSES, Graduatos refidentes æquè ac non Graduatos, Analyfes, vel alia quævis Exercitia fcholaftica in Aulâ exhibere, ad eorum Peritiam et Eruditionem exercendam et probandam, ordinabit.

10. QUILIBET Studiofus, in Sermone fuo ufitato et quotidiano, *Linguâ Latinâ* utatur, fub Pœnâ idoneâ, ad Arbitrium Præfidis et Tutorum conftitutâ.

TITULUS IV.

De Moribus conformandis.

1. SIQUIS Scholaris Blafphemiæ, Latrocinii, Fornicationis, Fabricationis falfarum Chartarum, vel alicujus ejufmodi Sceleris flagitiofi reus fuerit, protinus expellatur.

2. SIQUIS Scholaris Scripturam facram, vel aliquam ejufdem Partem Auctoritatis effe divinæ pernegaverit, vel Herefin aut Errorem aliquem Religionis Chriftianæ Fundamina fubvertentem, afleverabit et pertinaciter vindicabit, poft primam et fecundam Admonitionem expellatur.

3. SIQUIS Scholaris Juramenti vel Voti profani, Dei Nominis, Verbi vel Inftitutionum Profanationis, faftidiofi vel contumacis erga Superiores Geftûs, Pugilationis, Percuffionis, Litigationis, ad Pugnam Provocationis, Sermonis aut Geftûs turbulenti, Ebrietatis, Lafciviæ, Veftitum fœmineum induendi, Fraudis, Injuftitiæ, Ignaviæ, Mendacii, Defamationis, vel alicujus ejufmodi Criminis reus fuerit, puniatur Mulctâ, Admonitione aut etiam Expulfione, prout Criminis Ratio et Status poftulaverint.

4. SIQUIS Scholaris Furti reus fuerit, præter Mulctam idoneam, pro Damno triplam facito Reftitutionem; et pro qualibet Injuriâ, Reftitutionem plenam Parti læfæ præftato.

5. SI

5. SIQUIS Scholaris alicujus alius Oftium effregerit, vel Seram Inftrumento quovis furtim aperiat, pro Delicto primo uno Solido mulctetur, pro fecundo duobis, et pro tertio publicè admoneatur, in Claffe deponatur, aut expellatur.

6. SIQUIS Scholaris Aleâ vel Chartis pictis unquam luferit, vel Ludo quovis licito, Pignore depofito, certaverit, vel, nifi cum Patre aut Guardiano, in Tabernâ infrà duo Millaria à Collegio Potum aliquem inebriantem propofcerit; pro Delicto *primo* duobus Solidis et fex Denariis mulctetur, pro *fecundo* quinque Solidis, et in Claffe deponatur, et pro *tertio* expellatur. Et fiquis Scholaris, Veniâ à Præfide aut Tutore fuo non prius impetratâ, Siceram, Vinum, aut alium quemvis Potum inebriantem in Collegium, aut in Cubiculum fuum in Oppido intulerit, in Claffe deponatur. Et fiquis Scholaris Gladiis, Rudibus, vel Baculis batuat, mulctetur non plus uno Solido.

7. SIQUIS Scholaris Domum Academicam, Vitrum, Vallum, aut aliquid aliud ad Collegium pertinens Damno affecerit, aut è Feneftrâ exiliverit, aut Vallum tabulatum tranfultaverit, mulctetur non plus uno Solido, et Damna refarciat.

8. QUILIBET Scholaris, in Tempore Studio affignato, à canendo, vociferando ac ftrepitando penitùs abftineto, fub Pœnâ quatuor Denariorum: Et fiquis Scholaris, aliquo Tempore, Turbamentum, Tumultum, Strepitum aut Vociferationem indecentem fecerit, vel alium quemvis Scholarem, Præfide vel quovis Tutorum præfente, vociferè compellaverit, puniatur non plus duobis Solidis.

9. SIQUIS Scholaris in Hominum improborum, otioforum, aut Moribus perditorum Societatem fe contulerit, vel in Cubiculo fuo intra vel extra Collegium poft Horam nonam Conventum admiferit, vel aliquem non propinquum, abfque Veniâ, Hofpitio acceperit, mulctetur non plus duobus

duobus Solidis. Et ſiquis Auctoritatem Collegii contempſerit aut malè tractaverit, vel Studentem quemvis in Geſtus aut Mores pertinaces aut contumaces in Collegii Leges aut Præfectus incitaverit, conſuluerit, aut auxiliatus fuerit, vel quemvis Studentem in Dogmata vel Mores pravos allexerit aut ſeduxerit, Præſes, à Tutorum Conſilio Hominem ſic delinquentem, ab intrando Collegii Limites inhibeat; et ſingulis Studentibus omni Conſortio familiari et Commercio cum illo interdicat: ſub Pœnis idoneis, prout Rei Ratio et Status poſtulaverint.

10. Præses, aut Tutor, quum ſibi viſum fuerit, ullum Collegii Oſtium effringat, et ſiquis Scholaris Præſidi vel Tutori Admiſſionem poſtulatam recuſaverit, vel in aliquo Turbamento ſupprimendo (ſi opus fuerit) auxiliari, vel accerſitus advenire, vel poſtulatus Teſtimonium dicere recuſaverit, puniatur Mulctâ, Admonitione, Degradatione aut Expulſione, prout Criminis Ratio poſtulaverit.

11. Siquis Scholaris erga Præſidem vel Tutorem pertinaciter, contumaciter aut faſtidioſè ſe geſſerit, pro Delicto primo puniatur Mulctâ, Admonitione, aut Deprivatione Privilegii Recentes, pro Tempore, mittendi; et pro ſecundo, in Claſſe degradetur aut expellatur.

12. Siquis Scholaris, de Præſide, Socio, Profeſſore, Tutore vel Eccleſiæ primæ in *Novo-Portu* Paſtore, Libellum famoſum ſcripſerit aut publicaverit, vel quemvis eorum eſſe Hypocritam, carnalem, aut irregenitum Verbis expreſſis aut obliquis affirmaverit, vel Sermone aliquo contumelioſo aut convitioſo impetiverit; pro Delicto primo publicam in Aulâ Confeſſionem exhibeto; et pro ſecundo expellatur.

13. Siquis Scholaris in Præſidem vel Tutorem Inſultum fecerit, vulneraverit, aut percuſſerit, ſtatim banniatur. Nec quiſquam legitimè expulſus reſtituatur, aut Gradu ornetur, niſi prius Confeſſionem publicam in Aulâ exhibuerit.

14. SIQUIS Scholaris è Collegii Areâ abſque Galero, Tunicâ aut Togâ exiverit, niſi ad Luſum approbatum, uno Denario mulctetur; ſi verò Veſtitum indecentem induerit, mulctetur non plus duobus Solidis.

15. SIQUIS Scholaris Bombardam aut Scloppum cuſtodiverit, aut intra Collegii Aream diſploſerit, vel venatum, piſcatum, aut navigatum iverit, vel pluſquam duo Milliaria à Collegio aliquâ Occaſione deceſſerit, vel ad aliquam Curiam aut Conventum oppidanum, Nuptialem, juvenilem ad oblectandum, aut quemvis alium Congreſſum, quo Tempus pretioſum inutiliter conteratur, acceſſerit; abſque Veniâ à Præſide vel Tutore ſuo priùs impetratâ, mulctetur non plus duobus Solidis.

16. OMNES Studentes erga *Novi-Portûs* Incolas juſtè et inculpatè ſe gerant; non inutiliter eorum Domus frequentantes, nec in aliquas eorum Litigationes ſe immiſcentes: Et ſuper Delationem de Injuriâ, à Scholari erga oppidanum aut alium Scholarem factâ, Præſes Juſtitiam decernet, et Compenſationem fieri mandabit; quod ſiquis Scholaris recuſaverit, publicè admoneatur, et ſi pertinaciter denegaverit, expellatur, ac (ſi opus fuerit) Syngrapha ejus in Jus vocabitur.

17. QUILIBET Recens Mandatum vel Nuncium idoneum, à Studente quovis in Claſſe ſuperiori ei demandatum, faceſſere tenetur; quod ſi recuſaverit, puniatur. Proviſo quòd, in Tempore Studio aſſignato, nullus Graduatus è Collegii Areâ, aut non Graduatus alicubi Recentem mittat, abſque Veniâ à Præſide vel Tutore priùs impetratâ.

18. SIQUIS Scholaris ultra Tempus à Præſide vel Tutore conceſſum ex Oppido commoretur, et nullam mittat Excuſationem idoneam, mulctetur quatuor Denariis *per Diem*, quàm diu abſuerit. Ac ſi non acceſſerit, aut Excuſationem miſerit uſque ad Trimeſtris Finem, et Mulcta in trimeſtri Tabulâ irrogata fuerit, nullâ Ratione relaxabitur, niſi quinque Solidis exceſſerit.

19. NULLUS

19. Nullus Alumnus Academicus Rem vel Negotium quodvis arduum, momentoſum, inuſitatum aut præter Academiæ Conſuetudines approbatas perficiat vel capeſſat, niſi Præſidem priùs conſuluerit, et ejus Veniam impetraverit.

20. Mulcta, pro Criminibus et Delictis communibus irroganda, ſit à tribus Denariis ad unum Solidum, pro atrocioribus, ab uno Solido ad tres, et pro maximis, non plusquam decem Solidis. Et ubi pro Delicto quovis particulari Mulcta his Legibus ſit determinata, ſi Crimen audaciter, negligenter, aut crebrò ſit perpetratum, penes ſit Præſidem vel Tutores Mulctam graviorem, non plus quam duplam irrogare; vel Pœnam aliam Academicam, ad Crimen ſupprimendum ſufficientem: Et quando Confeſſio publica plena et ingenua pro Delicto liberè oblata fuerit, in Pœnæ Relaxationem, è Præſidis et Tutorum Gratiâ, accipi liceat, niſi pro Delictis atrocioribus, ubi Admonitio publica, Degradatio, Expulſio, vel alia Pœna gravis neceſſaria fuerit.

21. Quandoquidem Leges particulares in ſingulos Caſus et Occaſiones occurſuris præſcribi nequeunt, penes erit Præſidem, pro Arbitrio, Edicta, Mandata, et Regulas, ſecundum harum Legum Rationem et Analogiam pro Re natâ condere, ſtatuere et edicere; et præterquam Crimina his Legibus recenſita, omnia etiam alia Delicta et Facinora Legibus ſacris aut civilibus, vel hujuſce Societatis bonis Moribus repugnantia, Pœnis juſtis ac neceſſariis reprimere et caſtigare.

TITU-





TITULUS V.

De Cubiculis et Musæis.

1. PRÆSES, pro Re natâ, Cubicula et Musæa Academica locabit, et ad Studentes particulares assignabit; et siquis Scholaris, in Cubiculo sibi assignato, commorari recusaverit, vel de illo in aliud, absque Veniâ, migraverit, mulctetur uno Solido, vel aliter puniatur, prout Criminis Ratio postulabit.

2. SIQUIS Scholaris Cubiculo potitus, ultra Tempus illi concessum, à Collegio abfuerit, vel Facinus quodvis perpetraverit, vel si alicui in Classe superiori opus fuerit Cubiculo, in his Casibus et consimilibus, Præses, pro Arbitrio, Cubiculum concessum revocet, alterique assignet.

3. QUUM Cubiculum vel Musæum alicui Studenti assignetur, protinùs ille de Vitro, Foribus aut Tabulis fractis, vel alio quovis Damno jam illato, Scholarem Ædilitium certiorem faciet, qui id Libro conscribat, idemque ad Præsidem deferat, ut ille, qui in Cubiculo vel Musæo postremò commoratus fuerat, vel Damnum intulit, Compensationem facere compellatur. Et quam diu Cubiculum vel Musæum alicui Studenti assignatum fuerit, ille (utrùm præsens vel absens) omnia in eodem Damna resarciat; nisi Providentiâ Dei inevitabili absque ejus Negligentiâ illa fieri comprobaverit.

4. QUUM in aliquo Atrio Vitrum frangatur, reparandi Sumptus in Scholares juxta Atrium illud degentes, et si in Aulâ, Bibliothecâ vel Conclavi quovis publico, in omnes non Graduatos æqualiter imponatur.

5. QUILIBET Scholaris, sive præsens vel absens, in Cubiculo sibi assignato æqualem Ligni, Candelarum et Supellectilium Partem Impensarum sustineto.

6. QUILIBET

6. Quilibet Scholaris extra Collegium commorans, Veniam de Cubiculo oppidano à Præside impetrato, nec de Domo in Domum migrare liceat, absque Veniâ à Præside prius concessâ, sub Pæna duorum Solidorum.

7. Omnes Studentes extra Collegium et in *Novi-Portûs* Oppido commorantes, iisdem Legibus et Regulis in eorum Cubiculis, cum eis, qui in Collegio resident, subjiciantur.

TITULUS VI.

De Dispensatore et Dimensis.

1. DISPENSATOR à Præside et Sociis constitutus, pro Studentibus Dimensa, More olim instituto, procurato; Pretio à Præside et Sociis, vel eorum Delegatis, de Tempore in Tempus, indicto.

2. Quilibet Scholaris in Collegio commorans Dimensorum fiat particeps: exceptis Servientibus, (à Præside constitutis) et Graduatis pet Dimidium Temporis; nec alicui à Dimensis dimitti liceat, absque Syngraphâ à Præside vel uno Tutorum concessâ; idque Diebus tantum Martis et Veneris, nisi Ægrotationis Causâ: quæ Syngrapha, ante Horam septimam matutinam vel in Vespere præcedenti, Promo tradatur.

3. Servientes in Aulâ Prandium imponant in Mensas decentibus Linteis stratas, singulis Hebdomadis Dispensatoris Procuratione lotis. Et Tutores vel Scholares seniores præsentes Benedictionem in Cibum Supplicanto, et Gratias agant. Omnes Scholares inter prandendum decenter et compositè se gerant, et à Garrulitate abstinento. Nulla Esculenta aut Catini, nisi Ægrotationis Causâ et unius Tutorum Veniâ, ex Aulâ portentur. Nec ulli Scholari, Gratiis nondum actis, exire liceat; et Prandio peracto, Servientes Catinos et Lintea in Culinam reportent. Inter

cænandum

cænandum in Cibos callidos ſimilis Ordo ſit obſervandus: Et ſiquis in alterutro horum deliquerit, ſex Denariis mulctetur.

4. Dispensator, Catalogum Catinorum cæterorumque Utenſilium Culinariorum ad Collegium pertinentium, Præſidi et Sociis annuatim reddat; et ſi aliqua eorum à Famulis ejus amiſſa vel Damno affecta fuerint, ab illo reſarciantur. Et Culina nec non omnia Utenſilia Culinaria nitida et ſuavia conſervantor.

5. Dispensator, omnia Cubicula et Atria Academica, de Die in Diem, verri; et Lecta ſterni procurabit: Quapropter quilibet Scholaris Dimenſorum particeps ſeſquiobolum, et quilibet Dimenſorum expers, utrùm præſens vel abſens, Triobolum illi numerato.

6. Sub cujuſvis Termini trimeſtris Finem, Diſpenſator, duas Tabulas conſimiles conſcribat, ſingulas Penſiones trimeſtres, à Studente quolibet ſolvendas, ſeorſim complectentes, *viz.*

Pro Tuitione,	£. 0 : 6 : 6
Pro Muſæi Redditu in *Collegio-Yalenſi*,	0 : 0 : 9
in *Aulâ-Connecticuttenſi*,	0 : 1 : 2
Pro Reparatione variiſque Sumptibus Contingentibus,	0 : 1 : 0
Pro Cellariæ Uſu	0 : 1 : 4

Unà cum Computis irrogatis pro Vitro fracto, aliiſque Damnis illatis, Mulctis, Dimenſis, ~~and~~ et Cibariis certâ Portione ſumptis. Studentes Gradu ornati, in Tuitione et Sumptibus Contingentibus, omittantur. Et Diſpenſator Tabulas iſtas ambas Præſidi exhibeat, quæ ab illo et uno Tutorum approbatæ, à Præſide obſignatæ fuerint, quarum unam Præſes Diſpenſatori tradet, et alteram cuſtodiet, unà cum Syngraphâ per Diſpenſatorem inſcriptâ, agnoſcentem ſe alteram Tabulam recipiſſe, et de Summâ totâ contentâ Rationem Præſidi et Sociis rediturum. Et Diſpenſator Pecuniam totam in Tabulis trimeſtribus contentam

tentam colligat; et Libras duas ad decem Solidos annuatim de Promo pro Dimensis amissis; necnon septem Solidos et sex Denarios, propter Prandium parandum de quolibet Gradum capessente. Atque Summam Pecuniæ totam secundum Præscripta à Præside et Sociis indicta numerato.

7. Pecunia his Legibus conscripta *Sterlingum*, *h. e.* bona et legalis *Magnæ Britanniæ* Moneta, intelligenda est.

TITULUS VII.

De Promo.

1. Promus, de Tempore in Tempus, omnium Dimensis victitantium Tabulam conscribat: et Dispensatoris Panem ac Cerevisiam in Dimensa et Portiones æquales distribuat; et pro Labore suo per singulos Terminos trimestres septem Solidos Dispensator illi numerato. Promus quoque sibi accipiet omnia Panis et Cerevisiæ Dimensa amissa; pro quibus cæterisque Privilegiis quinquaginta Solidos Præsidi at Sociis annuatim solvat.

2. Promo Licentia conceditur in Promptuario vendendi Vinum pomaceum, Hydromeli, Cerevisiam fortem (non plus quàm Cados viginti annuatim) Saccharum rigidum, Tubulos, Tabacum, et talia Scholaribus necessaria, non à Dispensatore in Culinâ venalia. Nec alicui Scholari Vinum pomaceum vel Cerevisiam, aut communem aut fortem, nisi in Promptuario, emere licebit. Promo in his vendendis Præsidis Præcepta observante.

3. Promus, Mane et Vesperi quotidiano, Tempore à Præside constituto, intra Horam Sextam et Solis Ortum vel Occasum, Præsidi, vel, illo absente, Tutoribus vicissim astato, propter Preces in Aulâ peragendas: Et Mandato recepto, Campanam pulsato: idemque faciet omnibus publicis

publicis in Aulâ Conventibus, quibus Præses adesse solet. Promus quoque Campanam pulsato pro Jentaculo, Prandio, et Cœnâ; et pro Studendi Tempore, semihorâ post Jentaculum, et sesquihorâ post Prandium, atque Horâ nonâ. Et siquis Scholaris Campanam pulsaverit, nisi è Jussu Promi, Occasionibus supradictis, vel è Præsidis aut Tutoris Mandato speciali, mulctetur non plus duobus Solidis.

4. Promus Tabulam conscribat Mulctarum à Præside et Tutoribus impositarum, unà cum Pœnarum Causis, quam, ad cujusvis Trimestris Finem, Dispensatori tradat; qui ejusdem Exemplar Scholarium Parentibus mittat, vel penes se conservet, ut ab iis spectetur.

5. Promus, quotiescunque opus fuerit, Candelas in Aulâ collocato: et procuret, ut Mensæ, Cathedræ, aliáque ad Aulam spectantia, in propriis Locis conserventur. Et siquis Studiosus aliquod at Aulam spectans, absque Veniâ exportaverit, quatuor Denariis mulctetur, Damnaque resarciat.

6. Promo Licentia conceditur, ut Servientem, Præside approbante, constituat, qui ejus Vice Officia supradicta perficiat.



TITULUS VIII.

De Bedello, Monitoribus et Scholari Ædilitio.

1. Bedellus, à Præside constitutus, omnia Mandata legitima Auctoritate Academicâ edita, Exequendi Potestate plenâ vestiatur.

2. Monitores, à Præside constituti, omnes absentes, tardè venientes, aut citiùs egredientes è Precibus et aliis in Aulâ Exercitiis publicis, quibus Studentes interesse tenentur,

tenentur, obſervanto, et in Tabulis notent; quas, (unà cum Nominibus Declamatorum) qualibet ſeptimanâ, vel quoties requiſitæ fuerint, Præſidi vel Tutori cedant.

3. Monitores omnes Mulctas, propter Abſentiam à Precibus vel aliud quodvis Delictum, in Aulâ impoſitas, notent, et Promo deferant.

4. Scholaris Ædilitius, à Præſide conſtitutus, Vitrum in Collegii Feneſtris fractum, et aliud quodvis Damnum Collegio factum, diligenter obſervet, et notato; unà cum Tempore in quo, et Perſonam per quam illatum fuerat: Et quolibet Trimeſtri talium Damnorum, in quemlibet Scholarem Secundum Leges Academicas impoſitorum, Tabulam conſcribat, Præſidique vel Diſpenſatori cedat. Et Scholaris Ædilitius, uſque ad Meridiem Diei Vèneris poſt Comitia publica, apud Collegium commoretur, atque illo Tempore Damnum in aliquo Cubiculo factum, è Delatione illius, cui aſſignatur, inſpicere tenetur.



TITULUS IX.

De Bibliothecâ.

1. Nemo, niſi Præſes, Socii, Tutores, Diſpenſator, Magiſtri et Baccalaurei apud Collegium commorantes, et duæ Claſſes Seniores, Libros è Bibliothecâ deſumendi Privilegio gaudeat: Proviſò, quòd Præſes Licentiam concedat, ut Sophimori quoſdam Libros particulares de Linguarum et Logicæ Rudimentis, raro à Claſſibus ſuperioribus uſurpatis, deſumant.

2. Omnis Magiſter, Baccalaureus et non Graduatus, pro Libro quovis è Bibliothecâ ſumpto, in Folio, Tribolum; in Quarto, Denarium; in Octavo aut Volumine minore, ſeſqui-

ſeſquiobolum; et Libello ſoluto, quadrantem; atque duplum illius ſummæ pro Libro quolibet recitato, per Menſem Bibliothecario ſolvat; et ſi Librum aliquem intra Menſem non reddat, duplum quoque ſummæ prædictæ per Menſem, eâdem Ratione per Partem Menſis, donec Liber reddatur, ſolvat; exceptis Libris in Folio, qui duos Menſes detineantur; nec ullus Studens plures quam tres Libros uno Tempore habebit.

3. Nemo, inſcio Bibliothecario, Librum quemvis è Bibliothecâ deſumet: et Bibliothecarius, Libri deſumpti Titulum et Magnitudinem, Nomen deſumentis et Tempus, quo deſumitur, et redditur; in Tabulâ notato.

4. Quicunque Librum è Bibliothecâ deſumpſerit, omnia Damna in eum illata reſarcire tenebitur, et pro Verbo quolibet ab illo in Librum inſcripto, pro Arbitrio Præſidis vel unius Tutorum, mulctetur.

5. Bibliothecarius Præſidi et Sociis Computum de Pecuniâ, Ratione prædictâ, per illum receptâ, reddat; et ab iis pro Labore ſuo remunerabitur, et ſiqua Pecunia ſuperſit, in emendo, ligando aut tegendo Libros, vel aliâ Re quâcunque in Bibliothecæ Commodum expendetur.

6. Tutor ſenior, pro Tempore quo fuerit, erit Bibliothecarius, et in Bibliothecâ bis ſingulis Hebdomadis, Temporibus à Præſide conſtitutis, ad hoc Negotium attendet.



TITULUS X.

De Comitiis publicis, Gradibus et Vacationibus.

1. Omnes Studentes, qui apud Collegium per Quadriennium commorati fuerunt, et Studiis propriis omnibuſque Inſtructionibus publicis ſedulò

ſedulò incubuerunt, atque per Examen à Præſide conſtitutum, Linguæ Latinæ ac Græcæ, Logicæ, Mathematicorum, Philoſophiæ naturalis ac moralis, totiuſque Literaturæ Academicæ periti comperiuntur, nec ullum Facinus aut Legum Academicarum Tranſgreſſionem perpetraverint, è Præſidis et Sociorum Gratiâ, Gradu primo, *i. e.* Baccalaureatûs in Artibus, condecorari expectent.

2. Qui per Triennium à Gradu primo ſuſcepto, Literis incubuerunt, nec ullum Facinus perpetraverunt, è Præſidis et Sociorum Gratiâ, Gradu ſecundo, *i. e.* Magiſtratûs in Artibus, condecorari expectent.

3. Quilibet Gradûs ſecundi Candidatus, Tempore competenti ante Comitia publica, ad Collegium accedat; et Locos communes vel Sermonem aut Diſſertationem aliquam, ad ſuum in Eruditione Profectum patefaciendum, exhibeto.

4. Quilibet Gradûs ſecundi Candidatus, Deſiderium ſuum, Menſem ſaltem ante Comitia publica, Præſidi præmonſtrabit; propriâque Perſonâ ſuâ adeſto. Si vero in aliquo Caſu, Præſes et Socii, è Gratiâ ſpeciali, abſentem quemvis Gradu condonarent, ille, Sex Solidos, aut prout Præſidi et Sociis viſum fuerit, in Ærarium Academicum numerabit.

5. Quilibet Candidatus pro Gradu donando, octo Solidos et ſex Denarios Præſidi numerablt.

6. Nullus Scholaris Gradu donetur, priuſquàm Diſpenſator Præſidem fecerit certiorem, quòd omnia Debita ſua Academica ſolverit; nec priuſquam Debita ſua in Oppido *Novi-Portûs* ſoluta ſint: *Proviſo,* quòd decem Dies ad minimum ante Comitia, Delatio ſcripta Præſidi ſit exhibita.

7. Die

7. DIE Comitiorum, Præſes Acta publica inchoabit Precibus ac conſummabit: Tempore ante-meridiano unus Baccalaureorum Orationem habebit, et cæteri ex Ordine diſputabunt; et pomeridiano, Magiſtri eodem Modo facient.

8. SIQUIS Scholaris, Tempore Comitiorum, Tormenta diſploſerit, vel illorum Diſploſioni ullo Modo auxiliatus fuerit, vel Strepitum aut Conturbationem magnam excitaverit, à Præſide, è Conſilio Sociorum vel Tutorum, pro Arbitrio puniatur.

9. NULLI Scholares Collegium illuminanto, vel aliquod Spectaculum publicum exhibeant, niſi Veniâ a Præſide prius impetratâ.

10. NULLUS cujuſvis Gradûs Candidatus, in *Septimanâ*, quâ Comitia publica habentur, in Cubiculo ſuo cuſtodiat ullum Genus Eſculentorum aut Siceræ, præterquam publici in Aulâ Prandii Reliquias, Potum è Cocoâ confectum, Theam, Vinum et Hydromeli; ſub Pœnâ Excluſionis à Gradu quem ambit, omnibuſque Collegii Honoribus et Privilegiis futuris, et Mulctâ quinque Solidorum; in proximâ Tabulâ trimeſtri irroganda. Et quilibet Delationem, de hàc Lege fractâ, Præſidi exhibens, Premium quinque Solidorum vendicabit. Nec ullum Convivium aut Compotatio generalis, alio quovis Die aut Occaſione, Scholaribus permittatur.

11. A COMITIIS publicis, per ſex Hebdomadas, et à *Maii* Die ſexto, per Hebdomadas duas, datur Vacatio: Cujus ſub Finem quilibet non Graduatus accedere tenetur, ſub Pœnâ quatuor Denariorum per Diem.

TITU-





TITULUS XI.

De Collegii Auctoritate.

1. COLLEGII hujuſce Auctoritas Legiſlativa penes eſt PRÆSIDEM ET SOCIOS, qui omnia Statuta, Leges, Regulas et Edicta, (Politiæ civilis Legibus non repugnantia) condendi et ſanciendi, prout illis viſum fuerit, Poteſtate veſtiuntur.

2. HUJUSCE Collegii Poteſtas executiva præcipuè penes eſt PRÆSIDEM; qui Auctoritate pollet, Collegium omniaque ad id ſpectantia Negotia, necnon omnes Studentes, tam Graduatos quàm non Graduatos, imperare, gubernare et dirigere, ſecundum Leges, Regulas et Statuta à Præſide et Sociis, ſancita; ubi vero ea deficiant, ſecundum Collegii Conſuetudiues antiquas et conſcriptas; at illis deficientibus, pro Judicio et Arbitrio ſuo. *Proviſo*, quòd in Rebus difficilibus et momentoſis Præſes conſulet Tutores: Et in Caſibus extraordinariis, valde momentoſis, citòque determinandis, Præſes cum duobus Sociis Conventum Corporationis indicet; at ſi id commodè fieri non poſſet, conſulet quot facilè congregari poſſint.

3. SINGULUS Tutor, à Præſide et Sociis conſtitutus, Collegium ſub Præſide procurato et moderetur: Propriamque Claſſem ſibi commiſſam inſtruat; et in quemlibet non Graduatum, propter quodvis Delictum contra Leges admiſſum, Pœnam non pluſquam unius Solidi, irrogandi Poteſtate veſtiatur. *Proviſo*, quòd in Rebus dubiis et difficilibus, ſine Præſidis Conſilio et Directione, non progrediatur.

4. NULLUS hujuſce Colegii Alumnus, nec aliquis illius Vice, quamvis Dicam aut Querelam verſus quemvis hujuſce Collegii Alumnum aut Officiarium, propter Injuriam aut

Defectum

Defectum aliquem allegatum, coram quâvis Curiâ aut Auctoritate, præterquam Auctoritate Academicâ, prosequator, priusquam Causa à Præside et Sociis audita fuerat; sub Pœna, quod quilibet Scholaris talem Dicam prosequens, vel alium illius Vice prosequi permittens, protinùs expellatur.

5. QUILIBET hujuce Collegii Præses, Socius, S. S. Theologiæ Professor, et Tutor electus, priusquam Negotium publicum capesserit, in Aulâ Academicâ Confessioni Fidei et Disciplinæ Ecclesiasticæ, ab hujusce Coloniæ Ecclesiis receptæ, et hujus Ditionis Legibus sancitæ, Assensum publicè exhibere obligatur.



Collegii Yalensis,

SYNGRAPHA secundum has Leges pro Admissionis Candidato, data est mihi,

Dispensatori.

Collegii Yalensis,

ADMITTATUR Collegii Yalensis Alumnus,

PRÆSES.

} Tutores.



ELENCHUS TITULORUM.

